



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Constantini oratione quam ad sanctorum coetum scripserit. Cap. XXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

*De Constantini oratione quam ad sanctorum cœtum
scripserit. CAP. XXXII.*

Igitur Romana lingua orationes imperator conscripsit: quas interpretes quidam (ad quos illud interpretandi munus pertinebat) græcè fecerunt. Ex his è latinis græcè factis orationibus, exempli causa, postquam institutum opus absoluero: attexam orationem illam, quam ipse hoc titulo inscripsit **AD SANCTORVM COETVM ORATIO**: quamque præterea ecclesia Dei dedicauit: ne quis meum de eo testimonium, vanam & ostentatoriam prædicationem esse iudicet.

*Quemadmodum orationes Eusebij de monumento Seruatoris, stans audierit.
CAP. XXXIII.*

Ac ne illud quidem mihi tacitè prætermittendum videtur, quòd nobis ipsis præsentibus summa cum admiratione gesserat. Nam cum eius singulari erga Deum pietate adducti, postularem: vt de Seruatoris monumento & sepultura disputantes nos audire vellet: libentissime sanè aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa basilica magno auditorum cœtu circumfusus erectusque stans: communem cum reliquis audiendi operam exhibuit, cūq; flagitarem vt regali in folio, quod ibi fessionis causa positum erat, se reclinaret: minimè cessit nostris precibus, quin potius contento animo quæ dicebatur secum diiudicabatur & Theologiæ decretis, veritatis testimonium dabat. Sed cum iam multum temporis fluxisset, & nos longiores essemus, finemq; facere statueremus: hic quidem ille restitit, & vt omnem sermonem absoluere hortatus est. Rursus vero vt sederet deposcentibus nobis: subtristi & austerò vultu respondit: nefas esse, institutis de Deo disputationibus, negligentes aures præbere. Sibi verò hoc esse imprimis vtile, præsertim cum pium sit de diuinis rebus dissententes: erectos audire. Sed absoluto aliquando tandem omni hoc sermone, nos domum perreximus & vilitatis nostræ metipsums exercitationibus dedimus.

Pp

Quod